

Vol. 33.

12

PROCANCELLARIVS

D. CAROLVS ANDREAS BEL  
SERENISS. SAXON. ELECT. CONSIL. AVL.  
POESEOS PROF. PVBL. ORD. NATION. BAVAR. ET COLLEG.  
DVICAL. SENIOR ACADEMIAE BIBLIOTHECARIVS SOCIET.  
SCIENT. ELECTOR. BOIGAE SODALIS  
ET FACVLT. ART.

H. T. DECANVS

*De Barrifone Friderici Barbarossae  
Imper. beneficio Rege Sardiniae*

PRAEFATVS

SVM MORVM

IN PHILOSOPHIA ET ARTIBVS

HONORVM


PETITIONEM INDICIT.



ITOCANONELLARIUS  
D. CAROLVS ANDREAS BR  
SECRETIS SAKOL. ELECT. CONSIL. AUL.  
HOC EST LIBER PRIMUS ORDI. NATIOM. BAVAR. ET COLLEC.  
SACR. R. R. ACADEMIE. HISTORICO-PHYSICAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIENTIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.  
SACR. R. ACADEMIE. SCIARUM. BOLOGAE. SOCIET.





**D**e Barrifone, quem e Iudice Sardiniae, Fridericus Barbarossa, Imperator, cum tertium in Italiam venisset, Sardiniae regem constituit, scribere cum instituissem, incidi per nuperi mercatus opportunitatem in F. ANTONII FELICIS MATTHAEII, Minoritae conuentualis, Sardiniam sacram, seu de Episcopis Sardis historiam, quae apud Monaldinum Romae prodiit A. MDCCLXI. in fol. Huic operi praemissam dissertationem, de Sardinia eiusque Ecclesiis, cum legerem, multa reperi, Barrifonis, adhuc fere neglecti, historiam praeclare illustratura. Igitur hoc Scriptore duce quam maxime, et eo confidentius vsus sum, quod viderem, ex iisdem fontibus, quos ego paullo ante adieram, hau-

## IV

hausisse, neque mentitum esse pro patria, aut coetu suo, vt solent, nisi in talibus, quae ad defendenda Pontificum Romanorum in Sardiniam iura pertinere arbitraretur: quae tamen fratri conuen-  
tuali facile condonamus. Iam ad rem.

Sardinia Romanis tradita a Carthaginensibus, *Vandalis* cef-  
sit V. Saeculo; quibus, Africa recepta, et Sardiniam eripuit *Iu-  
stinianus Imperator*, teste *Procopio* de bello Vand. L. II. c. 5. Sae-  
culo VI. medio, sed nonnisi per triennium, in *Gothorum* pote-  
state fuit, quorum regno in Italia extincto, rediit ad orientis  
Imperium, atque ei vsque ad Saracenorum inuasionem paruit.  
Nam qui metu Vandalorum ex Africa in Sardiniam commigraue-  
rant, *Barbaricini*; quorum meminit *Procopius* l. I. L. II. c. 13.  
non occuparunt Sardiniam iusto dominatu, sed depraedati sunt.  
*Saraceni* igitur, ex Hispania aduenae, occupata A. 669. Sicilia, vt  
euicit *Pagius* Crit. Baron. ad h. a. num. 5. Sardiniam quoque  
successu temporis inundarunt. *Matthaeius* id accidisse intra an-  
nos 712. et 726. diff. laudatae pag. 5. n. 10. existimat. Sed res  
in incerto est; neque, quam diu Insulam Saraceni tenuerint, certo  
potest constitui. Quod enim *Matthaeius*, Cointium secutus,  
cum magno numero romanorum Scriptorum putat, Sardos Lu-  
douico Imperatori se vltro dedisse anno 815. hunc autem bien-  
nio post Paschali I. Rom. Pont. Sardiniam quoque, celebri illa do-  
natione concessisse, nugae sunt, a multis nostrorum, sed etiam  
a *Pagio* vtroque, *Muratorio*, atque aliis, confutatae; ita vt mi-  
rum debeat videri homini docto cuiuis, hac nostra aetate reco-  
qui ineptias tales, et serio defendi, quod facere *Matthaeium* vi-  
demus l. c. pag. 5. n. 5. Istud in confessio est, *Iohannem XVIII.*  
*P. R.* vt e Sardinia Saracenos eliminaret, Diplomate a. 1004. pro-  
posito, pro pontificali ex alieno liberalitate, donasse Insulam, qui-  
cun-

cunque deinceps Saracenis eripuissent. Primi omnium Pisani, mari inprimis potentes, hanc ad se Pontificis munificentiam pertinere rati, expugnandae Sardiniae consilium ceperunt, multis acceptis illatisque cladibus tamen abiecturi, nisi in societatem venissent Genuensium, quorum auxilio, nec sine caede, insula tandem potiti sunt, anno 1016. teste *Chron. Pisano*, quod excitauit in *Critica Pagius* ad h. a. num. 10. estque apud *Vgbellium Ital. Sacr. T. X.* teste item *Folieta Hist. Genuens. L. I.* et *Troncio* in *Annali di Pisa* pag. 9. sq. Adscribimus verba Chronici: *Anno Domini MXVI. Sardiniam Pisani et Genuenses deuicerunt, anno Domini MXVII. Rex (Saracenorum) Mugietus et Saraceni deuicerunt Sardiniam, et eodem anno Pisani et Genuenses eam recuperauerunt, et quum Pisanis et Genuensibus adiudicata esset, (a Pontifice sine dubio,) Genuenses voluerunt Pisanos expellere, sed ipsi anno eodem a Pisanis superantur, et de tota Sardinia expelluntur.* Habes hic fontem dissidiorum Pisanos inter et Genuenses. Nam quod *Matthaeus* pag. 8. l. 1. scribit, fide *Benuenuti Imolensis: Insula recuperata, conuenisse inter se, quod Ianuenses auidi praedae asportarent quidquid praedae esset super terram; Pisani vero haberent solum nudum:* id profecto fidem non meretur. Neque enim credibile est, Genuenses, tanta fortitudine et constantia aduersus Saracenos in Pisanorum societate pugnantes, de sola praeda pactos esse: etiamsi potior ratio Pisanorum fuisse propterea potest videri, quod primi consilium occupandae Sardiniae inierant, Genuensibus non nisi auxilio accitis. Atque haec de dominio Insulae disceptatio, tandem, *Friderico Barbarossa* imperante, Sardiniae Regem dedit, de quo mox dicemus.

Erat tum tributa in partes quatuor omnis Sardinia: *Caralitanam, Oristanensem, Turritanam, atque Galluriensem.* Iudicatus

catus nominabant, quod, qui regionibus iis magistratum gererent, Iudices dicerentur; sed tanta potestate, ut dynastae potius et domini possent videri. Igitur saepe numero et *reges* adpellatos fuisse Iudices istos, legimus, integro Seculo ante, quam Fridericus Barrifonem II. totius Sardiniae regem crearet. Eleganter hoc e chartis antiquis, praeter Durandum et Martenium, docuit *Muratorius*, in Dissertazioni sopra le Antichità Italiane T. II. diss. 32. p. m. 108. Verba eius haec sunt: *E da sapere, che coloro, i quali signoreggiavano anticamente col titolo di Giudici nella Sardegna, prima che i Pisani e Genovesi vi fissassero il piede, prendevano bensì il titolo di Giudici da i quattro Giudicati di quell' Isola, ma insieme usarono quello di Regi, e come Re, o Regoli, erano onorati da i Popoli, sicome Principi Sovrani, assoluti, e non dipendenti dalla giurisdizione di alcuno.* Reperitur in istis chartis *Torchytorius* rex Sardiniae, anno circiter 1064: *Gunnarii*, Iudicis *Turritani* 1153. filius, *Baraso* rex, diuersus ab eo, quem Fridericus Imperator deinceps regem dixit: *Turbinus*, omnipotentis dei gratia Iudex *Kalaritanus* anno 1103. qui in eadem charta dicit: ut *Populus Pisanus* sit amicus mihi, et *regno meo*, et non offendant studiose neque me, neque *regnum meum*: et sic porro. Atque hinc etiam intelligitur, *Pisanorum* in *Sardinia*, et *Genuensium* dominatum, eo non pertinuisse, ut a veteri formula quatuor illi Iudices recederent.

Integro Saeculo, *Genuenses* inter et *Pisanos*, de *Insulae* dominio, varia fortuna pugnatum est. Auxerunt *Sardiniae*, calamitatem eam quatuor Iudicum dissidia inter se, et aperta bella, studia item diuersa, his *Genuensium*, illis *Pisanorum* patrocinio utentibus. Ita factum est, ut mox *Pisani* decedere de *insula*, mox iterum deinceps *Genuenses* cogerentur. Longum foret, clades  
eas



eas exponere; neque est huius loci. Leguntur in Genuensium et Pisanorum Annalibus Tronci et Folietae, ap. *Sigonium* de R. Ital. L. VII. et alios. Erat potissimum anno 1164. magna rerum conturbatio. Petrus, Calaritanus Iudex, dignitate sua exutus per tumultum, restitutus erat Pisanorum ope. Hi, non contenti ea victoria, Oristani Iudicem, Barrisonem, quem aduersum eo tempore habuerant, reliquorum omnium potentissimum, bello petunt. Hic, vt mature prospiceret rebus suis, auxilium sibi Genuensium adiunxit, quorum pecunia et armis, nam haec liberaliter addixerant, sperabat se non solum motus eos facili negotio compressurum, sed effecturum etiam, vt eiectis Pisanis, ipse Rex totius Sardiniae constitueretur. Genuenses, quasi desperarent vtiquam se Insula potituros, odio Pisanorum, haec consilia non laudarunt solum, sed iuuerunt etiam. (*Breuiar. hist. Pisanae; Matthaeius* l. l. pag. 9.)

Dum haec ita fiunt, Fridericus I. Imperator tertium in Italiam venerat, *sine instructu bellico*, (verba sunt *Otonis de S. Blasio* c. 18. conf. *Acerbum Morenam*, et *Continuatorem Radevici* ad an. 1163.) *ibique, sicut et in Germania, diuersis placitis, cum Italicis Baronibus per loca habitis, negotia Imperii inducialiter* (forte legendum *iudicialiter*) *exercuit, ac per aliquod tempus eum eis quietus permansit.* Parmae Imperatorem, cum *Episcopo, Legato Principis Sardiniae, viripotentis et ditissimi* (Barrisonis,) (ita est in *Chron. Colon. Cod. Guelferbytano*, cuius excerpta dedit *Fellerus Monum. ineditor. Trim. I. pag. 14.*) et Legati Genuensium conueniunt, atque, vt Pisanis eriperent Sardiniam, ab eo petunt, vt, (scribente *Sigonio* L. XIII. de R. Ital. ad an. 1164.) *quatuor millibus marcarum acceptis, nouum regni Sardiniae titulum institueret, id est Barisonem Arboreae, quae pars erat*  
Sar-

## VIII

*Sardiniae, Iudicem, appellaret Regem: eum Insulam ad commoda Imperii obtenturum.* Fecere id Genuenses, non solum pro illorum temporum communi opinione, regiam dignitatem, nisi a Romanorum Imperatore datam atque concessam, nullam esse; sed etiam vt, interposita hac ratione Imperatoris auctoritate, et tutior esset in regno nouus rex, et Pisani, metu Imperatoris, Sardinia arcerentur, essetque adeo sibi deinceps facilior liberiorque, cum rege Barrifone, quem tali beneficio sibi deuinxissent, de iuribus suis in eam Insulam transactio. Vltro Imperator hac imperialis potestatis exercendae opportunitate vsus est; nam et pecunia offerebatur, pro illorum temporum habitu satis ampla: igitur deduci ad se Ticinum Barrifonem iubet, eo loco solennibus a se formulis inaugurandum. (Arboreae Iudicem *Sigonius* l. I. et alii Script. Barrifonem hunc dicunt, quem *Acerb. Morena* de ciuitate Ebonca fuisse scribit: sed *Oristani* Iudex citra dubium fuit, estque illa Arborensis denominatio orta ex errore illorum, qui *Oristanum* Arboream putarunt fuisse.) Tamen, vel quod Pisani intercederent, vel quod aliae quaedam vrbes Italiae, imperialem auctoritatem spernentes, alio consilia Imperatoris auerterent: haec noui regis appellatio, fere ad discessum vsque Imperatoris ex Italia, protracta est. Tandem, *die Lucae, tertio mensis Augusti*, Barrifonem *Imperator regem Sardiniae instituit, promittentem et iurantem Imperatori fidelitatem.* (*Morena* ad. an. 1164.) Addit *Albericus* ad h. a. ipsum Imperatorem coronasse nouum regem, atque *Leodiensem* Episcopum, Henricum, qui erat in comitatu *Caesaris*, eum in regem benedixisse. Confer *Tristan. Calchum* L. X. atque XI. *Aegydt. de aurea Valle* hist. *Leodienfis* c. XLIV. atque *Obertum Cancellarium* L. II. *Annal. Genuens.* *Illustriff. Bünauius* Comes, in *Vita Friderici Barbar.* benedictionem illam *vnctionem* interpretatur; quod conuenit etiam cum stylo

stylo illorum temporum. Triste Pisanorum Legatis, in quo-  
 rum conspectu haec acta sunt, atque ingratum spectaculum.  
 Neque dissimulauit Legationis princeps. Narrat *Folietia H.*  
*Genuens.* palam iactasse eum Pisanorum de Caesaribus meri-  
 ta, quibus vicem referre oportuerit, non eripere Sardiniam,  
 iusto imperio possessam, nec donare rem alienam: degene-  
 rem esse hominem, et Pisanorum seruituti aduetum, quem  
 Caesar, Pisanorum opprobrio, tanto honore adfecerit. Sed  
 erat frustranea haec exostulatio. *Barriso* rex Genuum redie-  
 rat, atque, vt est in *Breuiar. Hist. Pis. habitis a Ianuensibus*  
*triginta millibus libris, nauigauit in Sardiniam, sperans cum*  
*suo exercitu non solum Arboream, (hanc interea Pisani, in re-*  
*liquorum Iudicum societate, pene funditus euerterant,) re-*  
*uincere, verum etiam totam sibi Sardiniam subiugare.* Sed  
 aliter res euenit, interueniente Pisanorum pecunia. Hi  
 enim Legatos ad Imperatorem in Germaniam miserant iam  
 A. 1165. non inepte rati, qui quatuor Marcarum millibus Sar-  
 diniam *Barrisoni* vendidisset, eum, multo ampliore pecunia  
 oblata, non defuturum iis, qui longo ante tempore, Insu-  
 lam, Saracenis eiectis, suo quasi sanguine emissent. Nec  
 fefellit Pisanos opinio. *Imperator, (teste Breuiar. H. Pisa-*  
*nae,) Pisanum Consulem, Uguccionem, dando ei vexillum, in-*  
*uestiuit de ipsa Insula, et hominibus, et bonis; praesentibus*  
*ad haec Ianuensibus, et Barasone suprascripto, quem corona-*  
*uerat Papiae.* De hac re silent Germanorum Annales: ta-  
 men est in *Tronci Annali di Pisa* p. 113. Diploma ipsum,  
 quo Sardiniam Pisanis *Fridericus* concessit. Quo precio emta  
 nunc quidem fuerit, mox clarum fiet. Genuenses, tali, tamque  
 inopinata rerum conuersione vehementer irritati, subito

B

Barri-

Barrisonem cum exercitu in Sardiniam comitantur, erepturi Pisani per vim, quod pecunia olim Caesari soluta non poterant. Sed tota Insula eieci iterum vna cum Barrisone; quem, quod neque reddere pecuniam sibi creditam posset, in custodiam dederunt. (*Sigonius* de R. Ital. L. XIII. p. 317.) Dum hic poenas luit cupiditatis, octo annis integris, Barriso, venit Imperator Fridericus a. 1166. quartum in Italiam. Erat Laudi, Comitibus habendis. Huc Pisani et Genuenses, de mutuis in Sardiniam iuribus disceptaturi, Legatos mittunt, (*Sigonius* de R. I. ad ann. 1166. *Trist. Calchus* L. XI. p. 230.) Pisani tredecim librarum millia, Moguntino Archiepiscopo, Christiano, Caesaris mandatario, soluta cum inuestirentur, adeoque rem decisam, opponebant Genuensibus: hi contra, id sibi fraudi esse non posse propterea existimabant, quod in Pisanorum olim societate Insulam occupassent, igitur si non omnem, aliquam tamen Sardiniae partem meruerint. Quid ad haec Caesar? Poterant Genuenses deseruisse iura sua videri tum, cum Barrisonem, quem et pecunia iuuerunt semel atque iterum, eorum rogatu regem Sardiniae Imperator constituerat. Sed placuit Imperatori differre eius rei disquisitionem in tempus opportunus. Ne interea Pisanorum in Insula dominatus firmaretur, Genuenses Barrisonem regem, atrocissimum Pisanorum hostem futurum, firmandoque regno suo quiduis a furum, a. 1172. e custodia dimittunt. *A quatuor Genuensibus irremibus*, (verba sunt *Folietae* Hist. Genuens.) *quibus praefuit Otto Cassarus, vnus ex Consulibus, in Sardiniam traiectus est, magna primariorum ciuium caterua honoris causa illum comitante.* Quid illic rerum gesserit, an arma proiecerit, fra-

fractus animo, vt ait *Matthaeius*, an bellum renouauerit, non prodiderunt Annales. Istud *Sigonius* ad a. 1175. retulit, anno 1175. *Imperatorem Genuenses et Pisanos ad concordiam reduxisse, Genuensibus dimidia parte Sardiniae addicta, propter quam diu cum Pisanis fuerat decertatum.* Adhuc anno 1182. *Barrisonem* vixisse, testimonio est Priuilegium eius anni, vbi se Iudicem *Arborea*, coniugem vero suam *Algaburgam reginam* nominat. Filii, *Gostantini regis*, itemque nepotis, *Barufone di Gallur*, memoriam seruauit charta anni 1170. quae est edita a *Troncio* in *Pisan. Annal. conf. Muratorii* Differt. sopra le Antichità Italiane T. II. p. 110. Ex quibus etiam istud clarum fit, regiam eam dignitatem, vt olim in Iudicibus fieri adsueuerat, ad liberos, quodam quasi hereditatis iure, transmissam fuisse. Secuta *Sardiniae* fata, nam ad *Barrisonem* non pertinent, hic mittimus.

Superat dicere de eo, quod hoc potissimum tempore scribendi ansam dedit. Proponit *Facultas Artium*, me interprete, honores suos, in annum proximum, iis omnibus, qui litterarum studiis bene innutriti, eam facultatem in disciplinis liberalibus, doctrinaeque copiam consecuti sunt, quam possint nobis, instituendis tentaminibus, probare. Igitur petendis istis honoribus, per me nihil obstat, *Commilitones carissimi.* Quo valeant honores isti, tributi ab iis, quos praeceptores secuti estis, quorumque de vobis iudicium debet vobis et honorificum, et fructuosum videri, me non monente intelligitis. *Profiteamini* igitur apud me nomina vestra, vt, exposita *Ordini Philos.* incluto con-

XII

filiū vestri ratione , dies explorandis profectibus vestris  
dici possit. Hoc ita facite , Commilitones, deque  
meo atque Ordinis in vos amore et studio bene spera-  
te. P. P. Domin. I. Adu. Dom. Nostri I. C. Anno  
CICIDCCCLXVI.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Ks 375<sup>c</sup>




VD 18

ULB Halle


3

005 127 36X









12

PROCANCELLARIVS  
D. CAROLVS ANDREAS BEL  
SERENISS. SAXON. ELECT. CONSIL. AVL.  
POESES PROF. PVBL. ORD. NATION. BAVAR. ET COLLEG.  
DVICAL. SENIOR ACADEMIAE BIBLIOTHECARIVS SOCIET.  
SCIENT. ELECTOR. BOICAE SODALIS  
ET FACVLT. ART.

H. T. DECANVS

*De Barrifone Friderici Barbaroffae  
Imper. beneficio Rege Sardiniae*

PRAEFATVS

SVM MORVM

IN PHILOSOPHIA ET ARTIBVS

HONORVM

PETITIONEM INDICIT.

